



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 96. Adiuro te per Deum viuum ut nobis edicas, si tu es Christus filius  
Dei. v. 63.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**D**omine Iesu procul hæc cogitatio à me facessat, ut velim inducere matulm super proximum quouis modo, sed hanc gratiam mihi Deus addat ut ad omne bonum proximum alliciam, prædicando, exhortando, suadendo, splendorem virtutum & præmia ostendendo, ut laudetur semper Deus Deorum in Sion.

§. 96. *Adiuro te per Deum vivum ut nobis edicas, si tu es Christus filius Dei. v. 63.*

Caipham permouit ad hanc adiurationem & quæstionem. 1. obfirmatum Christi silentium utpote, ex quo nullam poterat sumere occasionem condemnandi Christum. 2. insufficientia testimoniorum, quæ allata erant, unde ipsemet suo ingenio & arte Actor fieri incipit, quæstionem proponit, quâ infallibiliter eum capiat vel respondentem vel tacentem, nam si adiuratus per Deum vivum non loquatur, in Deum est contumax cui deferre nolit; si loquatur & dicat non sum F. Dei, habet Caiphas intentum, nempe negantem quod alias asseruerat; si dicat ita: blasphemix reus erit: proponit igitur num sit Christus filius Dei vivi. Hic enim omnis odij fons in Christum quod pauper & plebeius cum æstimaretur, pro Messia tamen, quem illi opulentum & potentem expectabant: nec non pro filio Dei se confiteretur. Quid ad hæc dicēs; ò Christe? si asseras te esse Christum, reum te læsæ Maiestatis dicent, tum ex parte Cæsaris quem solum agnoscunt Regem, tum ex parte Messia quem adhuc venturum expectant: si insuper Dei filium, blasphemum te clamabunt, ponentem plures Deos. Negas? in promptu testes aderunt quibus conuincaris quod pro Christo gesseris te & Dei filium dixeris. Vndique insidiæ.

**D**omine, absit à me obsecro omni tempore, ut velim ob quamcumque causam adiurare proximum, maxime ad circumueniendum eum. Cum non deceat, ut qui vult secundum Euangelium viuere, adiuret alterum: sed nec ad iuramentum, nisi graui de causa Iudicibus probata, præstandum: Quod si res ita postulet, ut ad rei magni momenti cognoscendam veritatem, aut auertendum malum, iuramento sit opus, jurem verum, necessarium, & reuerenter; & si alios adiurem id præstem juxta Ecclesiæ sanctæ Dei præscripta, ad gloriam Dei & bonum publicum, ut minister Ecclesiæ.

§. 97. *Dixit illi Iesus: tu dixisti. v. 64.*

Ecce nunc respondet Iesus, sed mirabili loquendi forma plena sapientia, plena virtute: prætendit Pontifex scire an ipse corâ stans esset Christus filius Dei